

cum *Biblicarum* adhibito in auxilium *Isidoro*, *Pseudomacro*, *Papia*,

*Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat,  
Pandere, sed nequeo, latebras nisi qui manifestat &c.*

et 10. aliis calci adjectis:

*Hic ego doctorum compegi scripta sacrorum &c.*

Retulit hos Versus e vitioso Codice *Ducangius* in Praef. *Glossarii med. et inf. Lat.* quos e meo emendare lubet. Igitur in prioribus cum lege cui, post v. 3. interpone hunc: *Dante iuuamen eo nihil insuperabile restat, haec nomina lege nisi nomina, mihi qui l. quoniam, retines hoc l. tenet hoc, scribendi l. scribenti.* In posterioribus *Praevia* lege *Praevie, confirmator l. consummator, lux dubiorum l. dux, malorum l. laborum, egis egenorum l. Aegis, miser o quia dego Minorum l. numero quia dego Minorum.* Vides hic Sodalitium FF. *Minorum.* Igitur alucinata est manus Sec. XV. quae Exemplo nostro praescripsit: *Lucianus frater ordinis S. Aug. heremitarum autor hujus opusculi.* Apage hunc *Lucianum*, quem nemo *Literatorum* novit, et reponere *Guilelmum Britonem Franciscanum*

*Huguitione &c.* et praemissis verbis 14. quorum initium:

*Cambrum* mortuum 1356. unde Exemplum praesens eo etiam dum vivo scribi potuit. An typis unquam editum fuerit, dubito. Codices mss. offerunt *Ducangius cit. Waddingus, Fabricius, Oudinus, Tannerus.* Finito hoc Opere Nostrum etiam *Prologos Hieronymi* eodem modo exposuisse docet alius Codex, quem hic illico subjunctum habes.

#### CCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 178 XIV. Folior. 235. f. non una manu perscriptus, rubricis distinctus, et teste Nota praevia Collegio ducali olim legatus a *Thoma* nostro *Haselbachio*, totus *Hermeneuticus* est, et exhibet: I. Expositiones omnium *Prologorum Hieronymi* in Libros *Biblicos*, quas hi Versus praecedunt:

*Partibus expositis textus noua cura cor angit*

*Et fragiles humeros bonus importabile frangit.*

*Biblia precedunt obscura proemia quedam.*

*De quibus ignoro quid ut expedit et decet edam.*

*Mens opus hoc horret sensus ignara laborem*

*Fussa subit sed iussa nequit remove timorem.*

*Cur quia nota sibi metuit succumbere moli.*

*Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.*

*Im-*

*Immoror obscuris leue transuolo sic breuitati  
 Hereo quod breuitas non deroget utilitati.  
 Omnipotens opifex (operis?) dator huius et autor  
 Vt stet opus fer opem calamum rege sis mihi fautor.*

Ad Guil. Britonem O. M. de quo  
*Waddingus, Fabricius, Tanne-  
 rus*, me deducunt hi Verficuli,  
 qui compositae a se *Summae diffi-*

*cilium Vocabulorum Bibliae* mox  
 relatae, et in Bibliothecis hinc in-  
 de extanti ita praelufit:

*Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat,  
 Pandere, sed nequeo latebras, nisi qui manifestat &c.*

*Partibus* igitur, ut supra ait, ex-  
 positus textus ad praesentem se la-  
 borem convertit. Non vanam esse  
 conjecturam isthanc, *Biblia glossa-  
 ta* testantur, in quibus Partes bib-  
 licae *Prologos Hieronymi* cum Ex-  
 positionibus nostris expresse *F.  
 Britonis* nomine praefixos habent.  
 Sed Codicem perlustrare iuvat.  
 Initium ducitur ab Epistola *Hie-  
 ronimi ad Paulinum: Frater Am-  
 brosius tua mihi munuscula &c.* in  
 quam Expositio sic init: *Ad eui-  
 denciam huius epistole quam scribit  
 Jeronimus ad paulinum presbite-  
 rum notandum est, quod paulinus  
 presbiter elegantis fuit ingenii &c.*  
*Fol. 32. p. 2.* in margine legas:  
*Prologus primus in librum Job.*  
 Nempe ille: *Si aut fiscellam jun-  
 co texerem &c.* Additur autem:  
*Sed secundum parisen. secundus.*  
*Biblia Parisiensia* intellige circa  
 an. 1236. in S. Jacobi Conventu  
 autoritate et opera *Jordani Ma-  
 gistri gen. O. Praed. et Hugonis  
 a S. Caro* Franciae Provincialis  
 ita correcte et emendate scripta,  
 ut teste *Lelongio* in *Bibl. sacra,*

et *Quetifo* in *Scriptt. O. P. T.*  
 I. p. 197. ceu Exemplum essent  
*Parisiis* publice expositum. Alter  
 Prologus, qui etiam in *Bibliis  
 gloss.* praeponitur, nobis ille est:  
*Cogor per singulos scripture diui-  
 ne libros &c. Psalterium* penitus  
 dissimulatur. *Fol. 50.* ad *Prolo-  
 gum* secundum in *Micheam* rursus  
 in margine notatur: *Prologus iste  
 non est in biblia Parisien.* Incipit  
 vero: *Sermo dei qui semper ad  
 prophetas descendit.* Et Expositio:  
*licet iste prologus in pluribus  
 bibliis (non) scribatur tamen pro-  
 pter curiosos eum breuiter uolo  
 transcurrere &c.* Quod novum  
 Testamentum, cui praeter unam  
*Jacobi Epistolae Apostolorum* de-  
 sunt, adinet, *Brito* noster in *Bib-  
 liis glossat.* locum focio suo *Ni-  
 colao Lirano* cessit, quamvis ma-  
 nifestum sit, unum eorum in alte-  
 rius vitula arasse; difficile vero  
 dispicere, quem plagiarium dicas,  
 cum *συγχεσται* fuerint, illo anno  
 1356. hoc vero 1340. e vivis di-  
 gressio. Expositio *Prologi Gilberti  
 Pictav.* in *Apocalypsin*, quae in  
 Bib-

*Bibliis* praedictis pariter *Lirano* adscribitur, eadem penitus est, quae in nostro *Codice* habetur.

II. fol. 65. succedit prolixus *Recensus Lctionum variantium* sacri *Codicis*, non omissis *Hieronymi Prologis*, omissis tamen *Psalterio*. Fontes laboriosi *Compileris* sunt *Textus Hebraeus*, *Rabbini*, *Septuaginta Interpretes*, *Hieronymus*, *Alii*, *Exemplaria antiqua et moderna*, proque *N. T.* etiam *Textus Graecus*, quos hifce *Notis* indicat: *h. Ra. LXX. Jer. al. an. Mo. G.* En specimina. *Frater ambrosius &c. Jer.* et ueteris amicitie noua. *sed an. libri non habent noua sed habent sic* que a principio amicitiarum fidem probate iam ueteris amicitie preferabant. *Jer. maria uel mare transisse. Jer. sic pitagoras menthphniticos uates. aliqui habent menthphniticos uates. Jer. cuiusque doctrinas uel doctrinam. Jer. ductus captius an. non habent ductus. sed Mo. habent. Jer. maior emente se fuit al. habent maiore mente. Lctiones in Genesin in 50. Articulos tributae sunt iuxta hodiernum numerum Capitulum et sic ineunt: In principio creauit deus celum et terram &c. Jer. et tenebre super faciem abyssi. sed al. habent erant. sed g. be. an. non habent. Jer. et spiritus dei ferebatur. aliqui habent domini. sed be. an. Je. augst. habent dei. Jer. et diuiderent lucem ac tenebras. al. habent ut diuiderent. sed be. et an. habent et. Jer. producant aque reptile. sic habent LXX. an. Ra. non reptilia. Jer. Vniuerseque terre omnique repti-*

li. sic habent be. an. Ra. al. an. creature. *Jer.* et creauit deus hominem ad ymaginem suam. *al. habent* ad ymaginem et similitudinem. *sed an. Ra. non habent* similitudinem *ibi. nec LXX. nec be. Jer.* ut habeant ad uescendum. *Ra. non habent* ut habeant. Ita proceditur usque ad finem *Apocalypseos*, additis etiam subtiliore calamo, eadem tamen aetate, per margines subplementis. *Job. C. V. v. 7.* sic *Noster: Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo. hic corrupti sunt quidam libri grecorum, ut ait beatus Jeronimus. qui hoc capitulum non habent in quo maxime roboratur fides catholica. quod autem sequitur. et tres sunt qui testimonium dant in terra &c. habent greci sicut hic iacet in serie. et quomodo spiritus aqua et sanguis unum sint exponit beatus ambrosius in libro de spiritu sancto cap. VI. Per novum maxime Testamentum frequenter adpellat ad *Biblia Parisiensi*. Graecis literis illum aliquid expressisse non reperio. Ad *Canticum* tamen *Cantic. fol. 107. p. 2.* in margine jacet *Sunamitis hebraice שולמית*.*

III. fol. 148. *Novus variantium Lctionum Adparatus*, praecedente paullo breuior, omnia tamen eadem pervadens. In *Epistola Hier. ad Paulin.* ad illud: *το δογμα, την μεθοδον, την εμπειριαν*, quas voces corrupte adfert *Compileris*, *Biblia Senonensis* citatur, et ad vocem *Homero centonas* inter alia notatur: *Cento centonis filtrum* (nobis *Filz*) gallice *feutre*. Unde *Compilationis* hujus *Patria* erui-

eruitur, sed de Bibliis *Senonensibus* nihil mihi compertum est. Ad *Genes.* C. I. haec notantur: *In principio &c. Fer.* et luceant. *he. an. sic. al.* ut luceant. *Fer.* et stellas. *potest esse uersus per se. sed paris. legit de uersu precedente sicut hebr. Fer.* et posuit eas. *he. an. deus. in firmamento. al. ea ut non solum ad stellas sed ad luminaria referatur. Fer.* benedixitque illis. *al.* et benedixit eis &c.

IV. fol. 213. Recensus Errorum in Codicibus Biblicis occurrentium cum emendatione, cui ita praefatur Collector: *Multipliciter apud Latinos erratur in sacra scriptura. ex uicio translatoris. uel scriptoris. et impericia lectoris. dum propter dictionum similitudinem uel ponunt unam pro alia, uel nesciunt que sit uerior. Neque his contentus per decursum sequentes Regulas, seu Observationes addit: In hebraicis quoque atque grecis dictionibus consimiliter errant ponentes unam pro alia, uel ignorantes que sit uerior. Item erratur per apices M et N uidelicet M pro N. item N pro M ponendo. Item erratur etiam per incertitudinem accentus. Erratur etiam quando nescitur. utrum sit dicio una uel plures. Erratur quoque per corruptionem numerorum. Jam finguli hi Canones ordine Librorum S. Scripturae stabiliuntur tribus exemplis, quantis depravationibus obnoxius fuerit Textus biblicus ante diuinum Typographiae beneficium, egregiumque ferunt criticae Collectoris nostri diligentiae testimonium.*

V. fol. 219. Fragmentum variarum Lectionum e Prophetis *Zacharia* a C. XI. v. 7. et *Malachia* toto, item e *Jobi* C. IX. v. 9. ad C. XIV. v. 15.

VI. fol. 220. Adparatus Lectionum variarum in *Psalterium*. Praeit *Hieronimi* Praefatio: *Psalterium Romae dudum positus &c.* usque ad uerba: *Unde consueta praefatione &c.* Recensus inquit: *Beatus uir qui non abiit. et infra. quaecumque faciet prosperabuntur. non est ibi semper. II. Quare fremuerunt. et infra. in uirga ferrea tamquam uas figuli. anti. cum hebr. et greco non interponunt et. Item G. (glossa?) et infra. et exultate ei cum tremore. an. cum hebr. habent in et grecus. &c.* Ad Ps. XXI. v. 18. ita commentatur *Notter*: *Foderunt manus meas. hebr. et antiqui habent caru (כרו. כארר) quod hebr. modernus habet cari (כארי Kennicotto etiam adferente כאריה) propter quod Jeronimus transfert quasi leoni (ubi? In omnibus ejus Psalteriis apud Martianaum et Vallarsum non nisi Foderunt legis) cuius ratio est, quoniam sicut dicit Jeronimus *Joth* et *Vau* (ו) sola differunt magnitudine et breuitate. ab antiquo igitur *Vau* in *Joth* uel malitia (Judaeorum) uel casu breuiata est. et sic ubi antiquitas legit foderunt. noui dicunt quasi leoni. sed sic etiam deficiet uerbum propter quod suppleant Cinxerunt. (in Hier. Psalt. hebr. Fixerunt, Vinxerunt). Sed forte dicent quod aliud est. quoniam in cari est aleph littera. quod non in caru. Responsio. millesies eadem*

dem nomini numero subtrahitur littera vel additur. Require Gen. XXIII. et IV. Reg. XVII. Quod autem etiam hebreo accidat hec mutatio probatur per II. Reg. XX. 6. Vbi pro Siba quod habemus. hebreus habet in serie (textu) sia. in margine sua. Aliis exemplis facile uti potuisset Criticus; neque enim  $\tau\alpha$  Sia vel Sua etiam apud Kennicottum ullum extat vestigium, sed semper  $\tau\epsilon$  legitur. Ad calcem totius Recensus adscripta est, et opportune quidem Hieronymi Epistola ad Sunniam et Eretellam. Deficit tamen ad Psalm. 139. in verbis: Sed hic et connectio superflua est. Integra legitur edit. Vallars. T. I. col. 635.

VII. fol. 232. praecedente folio, quod fragmentum cujusdam theologici de Incarnatione Tractatus fol. 235. continuatum exhibet temere hic insertum, sequitur 1) Catalogus Expositorum Biblie, ordine Librorum. Recentissimi hos inter Herveus Dolensis in Isaiam, et Radulfus, ut puto, Flaviacensis, de quo sic ad Exodum: Rabanus. uel Radulfus. sicut legi in quadam notula, et non Rabanus. Interim et Rabanus in Exodum scripsit, et Radulfus fortasse non nisi Scriptoris errore ad Exodum ascendit a Levitico, in quem ejus Commentarios habemus. Ad Ecclesiasten citatur Aquilinus, sed legendum videtur Alcuinus seu Alcuinus. Rariores praeterea Claudius in Judicum, Ruth et Matthaeum, quem Taurinensem habeo, et Florus in Ep. ad Hebraeos, qui Drepanius ille, seu

Magister et Diaconus Lugdun. fuerit. 2) CXXXV. Nomina Virorum illustrium e Libello Hieronymi sine ullo addito, inscripta: Ista sunt nomina uirorum illustrium qui aliqua ediderunt de sacra scriptura. 3) Alius Elenchus titulo: Isti sunt XII. uiri electi. Audiamus. 1. Augustinus ep. 2. Hylarius ep. 3. Origenes. 4. Eusebius cesariensis. 5. Eliodorus presb. 6. Ambrosius frater. 7. Dardanus. 8. Paulus. 9. Pelasius. 10. Jovinianus. 11. Julius. 12. Fauonius. Oppido ignorantem, aut παραδοξον fuisse oportet hunc Nomenclatorem. Pelasium putem Gelasium aut potius Pelagium, cum Jovinianus accedat. Quid vero his cum Augustino, Hilario &c. Quis vero Paulus, Julius, Favonius? Maxime ridiculus Ambrosius frater, natus haud dubie ex Hieronymi nota ad Paulinum Epistola, quae incipit: Frater Ambrosius &c.

VIII. fol. 233. usque ad finem praeclari Codicis, qui non inutilis fuisset iis, qui sub Sixto V. Gregorio XIV. et Clemente VIII. in constituenda lectione Vulgatae elaborarunt, Fragmenta Variantium in Prologis saepe dictis Hieronymi et Geneseos initio.

## CCXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. VIII. Folior. 385. f. max. per tres columnas luculente exaratus, literis initiorum picturatis et rubricis pulcre distinctus Concordantias Biblicas exhibet, et quidem, si Quetifo et Ecardo in Scriptt. Ord.